



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. IV. Solvitur aliud argumentum, petitum ex alia conditione, ad
instrumentum physicum requisita,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ipsa productio & actualis efficientia, est virtus A
lis & realis contactus : unde S. Thomas supra
quæst. 88. art. 6. ad 2. ait quod Passio Christi li-
cet sit corporalis, habet tamen spirituales virtu-
tes ex Divinitate unita, & ideo per spirituales
effectum efficaciam sortitur. Non requiritur
tamen, quod instrumentum physicum (præfer-
tum si sit instrumentum divinæ virtutis) per se ip-
sum, seu per suam entitatem, physicè contin-
git subiectum, in quo effectus causæ principa-
lis producit, quia propinquitas, seu indistan-
tia agentis ad passum, est aliqua conditio, divinæ
virtutis supplebilis.

§. IV.

*Salvitur aliud argumentum, petitur ex alia
conditione, ad instrumentum
physicum requisita.*

Obijciunt tertio Adversarii : Instrumentum
physicum debet indispensabiliter habere
aliquam actionem præviam, & sibi propriam :
Sed sacramenta talem actionem non habent : Er-
go non sunt instrumenta physica. Major suppo-
nitur ex Philosophia, Minor verò sic ostenditur.
Actio prævia instrumenti desideratur, ut opere-
tur dispositivè ad effectum principalis agentis :
Sed sacramenta ex viribus propriis non possunt
ad effectum Dei, scilicet gratiam, dispositivè
operari : Ergo non possunt habere actionem præ-
viam & sibi propriam ad rationem instrumenti
physici requisitam. Major communiter docetur
à Thomistis in Philosophia. Minor verò suade-
tur. Instrumenta operari dispositivè ad effectum
principalis agentis, est ipsa in subiecto in quo
debet produci talis effectus, operari aliquid dis-
pensans ad illum : Sed sacramenta hoc non pos-
sunt præstare, cum non possint ex viribus pro-
priis ponere in anima aliquid quod sit dispositio
ad gratiam : Ergo non possunt ad effectum Dei
dispositivè operari.

Hoc argumentum tangit difficultatem quam
relativè Philosophi in secundo Physicorum,
non tamen omnes eodem modo. Suarez enim
existimat, in pluribus quidem instrumentis repe-
ri actionem præviam, per quam dispositivè
operantur ad actionem & effectum principalis
agentis, illam tamen non requiri indispensabi-
liter in omnibus, præsertim in instrumentis divi-
næ virtutis. Idem videtur sentire Nunno hinc diffi-
cultate 7. quatenus docet, quamcumque rem actu
& realiter existentem, posse à Deo assumi ut in-
strumentum, ad quemlibet effectum, etsi nullam
habeat actionem sibi propriam. Alii dicunt,
agentis creati instrumenta debere necessario ha-
bere actionem præviam propriè sumptam ; in-
strumenta verò Dei, vel actionem propriam, vel
saltem aliquid habens modum actionis, puta rea-
lem passionem, vel motum localem, &c.

Sed communior sententia inter Thomistas, à
D. Thoma multis in locis evidenter tradita, asse-
rit requiri indispensabiliter actionem præviam
propriè sumptam in omni, etiam divinæ virtu-
tis, instrumento. Ita 1. parte quæst. 45. art. 5.
ubi sic ait : *Causa principalis non participat actio-
nem causa superioris, nisi inquantum per aliquid
sibi proprium, dispositivè operatur ad effectum
principalis agentis.* Et hic art. 1. ad 2. Dicendum
(inquit) quod instrumentum habet duas actio-
nes unam instrumentalem, secundum quam ope-
ratur, non virtutis propria, sed in virtute primi-

palis agentis ; aliam autem habet actionem pro-
priam, quæ competit sibi secundum propriam for-
mam, sicut securi competit scindere, ratione suæ
acuitatis, facere autem lectum, inquantum est in-
strumentum artis : non autem perficit instrumenta-
lem actionem, nisi exercendo actionem propriam,
scindendo enim facit lectum. Et similiter sacra-
menta corporalia, per propriam operationem quam
exercent circa corpus quodiungunt, efficiunt ope-
rationem instrumentalem ex virtute divinæ circa
animam : sicut aqua Baptismi, ablundo corpus
secundum propriam virtutem, abluit animam, in-
quantum est instrumentum virtutis divinæ, nam
ex anima & corpore unum fit. Et hoc est quod Au-
gustinus dicit quod corpus tangit, & cor abluit.
Ubi, ut patet, S. Doctor loquitur de actione
propriè sumpta, eamque admittit in omni, etiam
divinæ virtutis, instrumento.

Ratio etiam suffragatur : Virtus enim qua 90.
causa principalis movet instrumentalem, est
essentialiter elevativa, atque ita essentialiter
præsupponit in subiecto cui communicatur vir-
tutem activam inferiorem, quam elevet, & faci-
at attingere aliquid quod est supra sphaeram
activitatis ipsius ; subindeque implicat quod com-
municetur rei non habenti virtutem aliquam &
operationem sibi propriam. Unde sicut habitus
intellectus & voluntatis nequeunt recipi in alio,
quam in potentis vitalibus, quia sunt essentialiter
perfectivi & elevativi potentiarum vitalium ;
& si in alio per impossibile reciperentur, nihil
agerent. Ita virtus instrumentalis non potest
recipi nisi in subiecto habente virtutem sibi pro-
priam, & si per impossibile reciperetur, nihil om-
nino efficeret.

Dices, Deus non assumit instrumenta ex eo 91.
quod indigeat eorum actione, imo potius sua om-
nipotentia elevat ea ad consortium suæ actionis ;
ideoque indifferenter uti potest qualibet re ad
producendos effectus quos intendit. Ergo instru-
menta divinæ virtutis, nullam habere debent o-
perationem præviam, & sibi propriam.

Sed nego consequentiam, licet enim Deus ab-
solute non indigeat actione instrumenti, cum per
se ipsum absolute producere possit quæ producit
per instrumenta : supposito tamen quod velit uti
aliquo instrumento, necesse est quod aliquid as-
sumat habens operationem propriam, quam exer-
cendo, possit elevare ad producendum effectum
altiores quem intendit. Unde fit ut licet possit
indifferenter uti qualibet re habente propriam
operationem (in quo excedit creaturas, quæ de-
terminatis tantum instrumentis uti possunt) non
tamen potest aliquid non operativum, ut instru-
mentum assumere. His præmissis

Ad argumentum respondeo, concessa Majori, 92.
negando Minorem ; & ad ejus probationem, di-
stinguo Majorem : Actio propria instrumenti de-
sideratur ut operetur dispositivè, ex parte rei ope-
ratæ semper, nego Majorem. Ex parte modi ope-
randi, concedo Majorem. Et similiter distingo
Minorem : Sacramenta ex viribus propriis non
possunt ad effectum Dei, scilicet gratiam, dispo-
sitive operari, ex parte rei operatæ, concedo Mi-
norem. Ex parte modi operandi, nego Minorem,
& Consequentiam.

Explicatur solutio : Dupliciter intelligi potest,
instrumenta dispositivè operari ; nimirum ex par-
te rei operatæ, & ex parte modi operandi. Tunc
instrumentum dicitur operari dispositivè ex parte
rei operatæ, quando producit in passu aliquid

quod disponit ad effectum principalis agentis; & A hoc modo terra verbi gratia dicitur dispositiva operari ex parte rei operatae, quia facit divisionem continuam, quae est dispositio ad formam illam artificiosam, quae in cathedra verbi gratia reperitur. Tunc vero dicitur instrumentum operari dispositivum, ex parte modi operandi, quando producit aliquam actionem, per quam fit ultimatè capax & dispositum ad recipiendam motionem principalis agentis, per quam possit attingere effectum illius. Licet ergo instrumenta naturalia operentur dispositivè ad effectum principalis agentis utroque modo, instrumenta tamen divinae virtutis, solum operantur dispositivè secundo modo, seu ex parte modi operandi. Ratio verò huius discriminis evidens est: in hoc enim Deus differt ab agentibus naturalibus, quod ista dum assumunt instrumenta, utuntur tantum his quae habent actionem præviam, proportionatam effectui principalis agentis, seu producentem in subiecto aliquid disponens ad huiusmodi effectum: faber enim verbi gratia non utitur pectore ad faciendum scammum, sed duntaxat ferrum, quia ista ex se habet vim ad faciendam ligni divisionem, quae est dispositio ad formam scammi: Deus verò, quia est agens infinitae virtutis, non eligit temper talia instrumenta, sed indifferenter utitur qualibet creaturâ, quantum vis actio eius prævia, effectui producendo sit improporionata; imò interdum utitur rebus ut instrumentis, quae effectui quem intendit repugnare videntur, ut patet Joan. 9. ubi ad dandum visum cæcæ nato, assumptum instrumentum lutum, quod certe ex se potius idoneum erat ad excæcandum. Unde licet instrumenta agentium naturalium dispositivè operentur, tam ex parte rei operatae, quam ex parte modi operandi; instrumenta tamen divinae virtutis, operantur solum dispositivè ex parte modi operandi.

95.

Ex hoc facile intelliges, quid intendat D. Thomas, dist. 8. parte quaest. 45. art. 5. negat posse aliquam creaturam creare, nedum principaliter, sed etiam instrumentaliter; quia instrumentum (inquit) non participat actionem principalis agentis, nisi per aliquid sibi proprium, dispositivè operetur ad effectum illius: illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, præsupponitur aliis omnibus, scilicet esse absolute; unde non potest aliquis operari dispositivè & instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito quod possit disponi ad actionem principalis agentis. Non enim vult S. Doctor, necessarium esse, ut instrumentum ita dispositivè operetur, quod debet alterare, aut aliquo alio modo per suam virtutem immutare subiectum in quo debet recipi effectus causae principalis (hoc enim, ut jam diximus, non requiritur in instrumentis divinae virtutis) sed solum quod debet modificare, & deferre actionem principalis agentis ad prædictum subiectum, ipsam determinando, ut in eo producat effectum: hoc enim est, ipsum subiectum quodammodo disponere ad effectum principalis agentis. Ex quo bene sequitur, nullam creaturam posse assumi ad creandum, quia nulla actio, ita modificata & determinata ad producendum effectum in subiecto, potest esse creatio, cum creare sit ex non subiecto aliquid efficere.

S. V.

Alia difficultas resolvitur, & quomodo sacramenta causant gratiam breviter explicatur.

Objiciunt quarto Adversarii: Non potest significari quomodo sacramenta nostra physice producant gratiam, nam cum, excepta charitatè, omnia alia consistant in ulso materiae, atque adeo inter entia successiva numerantur in rebus autem successivis, tria tantum possunt considerari, initium, videlicet instans, sive visibile, quo dicuntur ultimo non esse & terminari post futurum; finis, scilicet instans in quo dicuntur primo non esse, sed immediate antecedere; & medium, quod est tota eorum duratio clausa inter duo illa instantia; si possit assignari quando sacramenta novae legis physice causant gratiam, vel in instanti eorum initiativo, vel in instanti terminativo, vel in duratione intermedia? Sed non in instanti initiativo, quia cum in illo nondum sint: neque in terminativo, quia in eo jam amplius non existunt; nec tandem in duratione intermedia, nam praeterquam quod gratia est forma permanens, habens totum esse simul, subindeque in instanti, sacramenta in ipsa in sua duratione intermedia, ante instanti terminativum, nondum completè & perfecte sunt, & proinde nondum possunt physice gratiam causare: Ergo illa non possunt physice producere gratiam, sed tantum moraliter.

Propter hoc argumentum multi negant physicam sacramentorum novae legis efficientiam, quod verò eam propugnant, in varias dividunt sententias. Aliqui enim existimant, gratiam produci à sacramentis toto illo tempore quo durat actus sacramentalis, & quod inter instans initiativum & terminativum illius includitur. Alii dicunt, gratiam produci eo tempore quo durat ultima syllaba. Alii volunt eam causari in instanti; sed isti in duas adhuc dividuntur sententias, alii asserunt, eam produci in instanti intrinseco quo dicuntur sacramenta compleri; aliis in instanti duntaxat extrinseco, quando verum est dicere, nunc prima sacramenta non sunt, sed immediate antea erant. & hic dicendi modus apud Thomistas communior est. Unde

Dico primo, sacramenta non causare gratiam in tempore, sed in instanti.

Probat breviter: Esto enim gratia, de absolute Dei potentia, possit in tempore produci, & aliqui existimant, probabile tamen non est, ita de facto à Deo per sacramenta produci; quia contra naturalem est rebus indivisibilibus: & quare esse est permanens, incipere determinate per primum sui esse, subindeque produci in instanti: Ergo gratia sacramentalis non producit in tempore, sed in instanti, sicut lux.

Confirmatur ex D. Thoma 3. parte quaest. 77. art. 7. ubi probat conversionem panis in corpus Christi fieri in instanti, tripliciter ratione. Prima parte formae, quia forma substantialis non subsistit magis & minus, & ideo fit in instanti. Secundo ex parte subiecti, quod est in ultima dispositione ad formam quam in instanti acquirit, & ideo aër in instanti illuminatur. Tercio ex parte agentis, quia agitur Dei virtute infinita. Sed omnes istae rationes locum habent in infusione gratiae, concurrente sacramento instrumentaliter, ut patet singulas expendenti: Ergo gratia sacramentalis